GREGORIUS MAGNUS

Zwettl, um 1200 Seite 173r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31655
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

eloquii ferre dicimus. uerba uite predicare. Hinc etenim propheta ait. Beati qui seminatis super omnes aquas. Sancte itaque ecclesie predicatores super omnes aquas seminare conspexit. qui cunctis late populis uite uerba quasi celestis panis grana tradiderunt. Comedere autem est bonis operibus saciari. Unde per semetipsam ueritas dicit. Meus cibus est. ut faciam uoluntatem eius qui me misit. Si ergo ea que pretulit facere pretermisit. ait, seram et alius comedat. ac si aperte dicat. Quod os meum loquitur. non ego sed alter operatur. Predicator quippe qui a suis uocibus moribus discrepat. ieiunus serit. quod alius manducat. quia suo semine ipse non pascitur. quando a uerbi sui rectitudine actione praua uacuatur. Et quia plerumque discipuli incassum bona audiunt. cum ex magistri uita per operum exempla destruuntur. recte subiungitur. Et progenies mea eradicetur. Doctoris enim progenies eradicatur. quando is qui per uerbum nascitur per exemplum necatur. quia quem lingua uigilans gignit. uite negligentia occidit.

Neque torpenti nobis est mente transeundum. quod apud salemonem mulier filium quem uigilans lactare consueuerat dormiens oppressit. quia nimirum magistri uigilantes quidem scientia. sed uita dormientes. auditores suos quos per uigilias predicationis nutriunt. dum quod dicunt facere negligunt. per somnum torporis occidunt. et negligendo opprimunt. quos alere uerborum lacte uidebantur. Unde plerumque dum ipsi reprehensibiliter uiuunt. et habere discipulos uite laudabilis nequeunt. alienos sibi attrahere conantur. quatenus dum bonos se habere sequaces ostendunt. apud iudicia humana excusent mala que agunt. et quasi per subditorum uitam. mortiferam tegant negligentiam. Unde illic mulier filium quia extinxit proprium quesiuit alienum. sed tamen ueram matrem salemonis gladius inuenit. quia uidelicet cui fructus uiuat uel cui intereat. extremo examine ira districti iudicis demonstrat. Ubi et illud sollerter est intuendum. quod uiuens filius prius diuidi precipitur. ut soli postmodum matri reddatur. quia in hac uita quasi partiri conceditur uita discipuli. dum ex illa nimirum alter apud deum meritum. alter apud homines laudem habere permittitur. Sed falsa mater eum quem non genuit occidi non metuit. quia arrogantes magistri et caritatis ignari si plenissimum nomen laudis ex alienis discipulis consequi nequeunt. eorum uitam crudeliter insequuntur. Inuidie enim face succensi. nolunt alios uiuere. quos se conspiciunt non posse possidere. Unde illic peruersa mulier clamat. nec meus sit nec tibi. Ut enim